~~quam~~ realiter alludentes. In cuius sedicionis discidio dicte partes et populi sibi invicem adversantes gentes et populos extranearum nacionum, videlicet de Alemannia, Gallia et Hyspania et de aliis vicinis sibi regionibus ad armorum stipendia advocantes passim vicini vicinos, cognati cognatos mutuis se bellis sedicionibus prodicionibus et vastacionibus per multa postmodum annorum tempora pessundabant. Quanta vero pericula quot dampna qualem desolacionem ex hac parcium sedicione Italia sustinuerit, civitatum et villarum atque municipiorum undique testantur solitudines et ruine. Exinde namque communitates civitatum et populi Italie nec domino pape vel ecclesie nec imperatori fidem servantes sibi quique pro libito dominos et principes assumpserunt, quorum tyrannide usque in presens omnes ipsius Italie populi miserabili premuntur et subiacent servituti. Hanc autem miserabilem tam nobilis plage orbis et regionis servitutem propter peccata hominum non dubium a multis creditur accessisse. Certum est enim, quod creator sue presidet et providet creature, et iusto dei iudicio agitur, ut secundum merita cleri et populi ecclesia dei et populus fidelium aliquando habeat advocatum, aliquando nullum, aliquociens pro principe sive advocato tyrannum ad vindictam reproborum et exercicium electorum. ‖

Inter[a] hec quidem Rodi insula per Sarracenos dudum quidem occupata et pluribus annis detenta per fratres religionis Hospitalis sancti Johannis Iherosolimitani cum multo labore extitit bellice

[a] Insula Rodi capitur per christianos in marg. cod.